

vel Emphyteusis dari solita. Ratio est; quia dum Prælati rem aliquando in Emphyteusis legitime jam datam, denuò in emphyteusis concedit, non tam novam alienationem, quam executionem ordinationis antiquæ facere censetur; ut cum aliis bene argumentatur Abbas lo. cit. arg. c. Consuluit. 7. de Judois.

263 Dicitur autem notanter, dummodò eadem vel similis utilitatis causa existat &c. quia ut Emphyteusis antiquam de novo etiam abque solemnitate Juris concedere possit Rector Ecclesiæ, requiritur expressè Extravag. Ambitiose. de Rebus Eccles. alien. quòd fiat cum Ecclesiarum evidenti utilitate, & c. 2. de Feudis, si videris expedire; non expedit autem Ecclesiæ, nec in ejus utilitatem vergit, si Emphyteusis ad Ecclesiam reverfa, de novo concedatur in Emphyteusis modo, vel cum conditionibus & clausulis, Ecclesiæ minus utilis, facientibus conditionem ejus deteriozem, ac prius erat: & ita tenere omnes, testatur Jul. Clarus q. 6. Hinc inferitur cum Abbate loc. cit. n. 11. & aliis, quòd, si sterilis, & incultus Ecclesiæ fundus pro modico canone conceditur in Emphyteusis, ut colatur, & postea frugifer factus, ex aliqua causa revertitur ad Ecclesiam, non possit Ecclesiam pro eodem modico canone eum abque Juris solemnitate denuò in Emphyteusis concedere; quia nec eadem, nec similis causa, ob quam prius Emphyteusis pro modico canone concedebatur, amplius existit; prius enim pro tam modico concedebatur canone, ut ex sterili acquireret fundum sterilem Ecclesia; ergo postquam jam frugifer factus revertitur ex aliqua causa ad Ecclesiam, hæc causa non amplius existit. Pariter si Emphyteusis prius data privato, revertitur ad Ecclesiam, non potest postea dari potentiori vel alicui Communitati &c. quia fieret deterio conditio Ecclesiæ.

264 Dicitur verò eadem vel similis causa; quia necessarium non videtur, ut proliis eadem causa perduret; sed sufficit, quòd sit similis, vel talis, ob quam eadem utilitas Ecclesiæ speratur, quæ ex priori Emphyteusi habebatur. Atque ita intelligendus est Abbas loc. cit. dum dicit, eandem debere subsistere causam: nam Extravag. Ambitiose. de Rebus Eccles. alien. c. 2. de Feud. præcisè requiritur, ut fiat cum Ecclesiæ utilitate; ex quacunq; dein causa utilitas proveniat.

265 Porro quandonam censeatur Emphyteusis antiqua, seu res ab antiquo in Emphyteusis dari solita, controvertunt DD. Aliqui eorum cum Abbate loc. cit. volunt, sufficere, quòd res semel data sit in Emphyteusis. Alii verò cum Jul. Claro putant, requiri, quòd res bis saltem jam sit concessa in Emphyteusis; vel si semel tantum concessa dignoscitur, saltem per 40. annos talem Emphyteusis quis habuerit. Abbatis, & sequacium opinio fundatur in c. 2. de Feudis. ubi plus non requiritur, quam quòd res prius in Feudum sit concessa. Jul. Clar. & consentientes fundant se in Extravag. Ambitiose, ubi expressè requiritur, quòd sit talis res, quæ ab antiquo in Emphyteusis dari est solita; non autem verè dicitur solita, si semel tantum fuit concessa; ergo. Quæ sententia probabilior videtur, & securior, adeoque in praxi tenenda, præferim, cum Lex posterior, qualis est Extravagans Ambitiose respectu c. 2. de Feudis, deroget priori, arg. c. Licet Romanus. de Constitut. in 6. & hæc juxta illam, interpretationem fumere debeat, prout amplius diximus in Proæmio §. 12.

266 Resp. III. Quando Emphyteusis ad Ecclesiam reverfa applicatur ad Mensam Prælati, Episcopi, vel Ecclesiæ, non potest amplius abque Juris solemnitate de novo in Emphyteusis concedi, quantumvis prius, & ab antiquo in Emphyteusis dari sit

solita. Abbas in cit. c. Ut super. 8. n. 9. & 10. de Rebus Eccles. alien. Azorius lib. 10. cap. 3. q. 2. Pirhing h. t. n. 49. & communis aliorum. Ratio est; quia hoc ipso, quòd incorporetur aliis bonis Ecclesiasticis ad Mensam pertinentibus, induit naturam & qualitatem eorum: hæc autem abque Juris solemnitate in Emphyteusis concedi nequeunt, per ea, quæ dicta sunt supra num. 260. ergo. Pro majori intelligentia hujus Conclusionis

267 Notandum, quòd aliqua bona Ecclesiastica dicantur ad Mensam Ecclesiæ, Capituli, vel Monasterii &c. pertinere, aliqua ad Mensam Prælati, vel Episcopi &c. Primi generis sunt illa bona, & redditus, qui sunt destinati ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, vel Canonicorum Capituli, vel Religiosorum Monasterii, & pertinentium ad eos. Secundi generis sunt bona & redditus, quæ propriè sunt destinati & spectant ad sustentationem Prælati, vel Episcopi &c. Azorius lib. 10. cap. 2. q. 1. & alii. Bona verò, quorum solum dominium directum, ad Ecclesiam, vel Monasterium spectat, utile autem ad extraneum, non dicuntur esse de Mensa Ecclesiæ vel Prælati: uti habet Glossa in Clem. 1. §. Ad mensam. de Excess. Prælat. Abbas in c. Ut super. n. 9. de Rebus Eccles. alien. Quando igitur talia bona ad Ecclesiam, etiam quoad dominium utile reverfa, applicentur sustentationi ministrorum Ecclesiæ, vel Canonicorum Capituli, aut Religiosorum Monasterii, aut Prælati vel Episcopi &c. dicuntur fieri, & esse de Mensa ipsorum. Porro applicatio seu destinatio bonorum ad certam Mensam variè fieri potest, videlicet vel per dispositionem Episcopi cum consensu Capituli, vel per præscriptionem, vel per concessionem aut Privilegium Papæ, ut bene notat Glossa lo. cit. Postquam ergo bona Emphyteutica ad Ecclesiam reverfa ita applicentur ad aliquam Mensam, amplius sine Juris solemnitate in Emphyteusis dari nequeunt, prout habet Conclusio. Et hæc de Emphyteusi dicta sufficiunt. Qui plura de hac materia desiderat, copiosè reperiet apud Jul. Clarum lib. 4. §. Emphyteusis. Milnam Disp. 444 Alvar. Valaf. de Jure Emphyteus. & alios.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Permutatio duplex strictè & late sumpta.
- 3 Strictè sumpta definitur.
- 4 Est contractus innominatus.
- 5 Bonæ fidei.
- 6 Ad permutationem requiritur res certa in specie.
- 7 Permutatio distinguitur à contractu, ut des.
- 8 Requiritur ad ejus substantiam actualis traditio rei, ante quam secutam licet adhuc resillire de Jure Civili.
- 9 Non item de Jure Canonico.
- 10 Omnis res certa, in numero, pondere, vel mensura non consistens.
- 11 Quæ vendi, etiam permutari potest.
- 12 Exceptè res aliena, quæ vendi quidem, non tamen permutari potest.
- 13 Res ad invicem permutandæ debent ambæ esse certæ, ac non fungibiles.
- 14 Res spiritualis pro temporali permutari non potest.
- 15 Bene tamen pro alia re spirituali.
- 16 Dummodò fiat cum debita Juris solemnitate, casu quo spiritualia bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum permutantur.
- 17 Bona Ecclesiastica cum debita Juris solemnitate permutari valent.
- 18 Solvitur instantia.

- 19 Quænam requiratur Juris solemnitas; Remissivè.
- 20 Minor causa sufficit ad permutandam, quam vendendam rem Ecclesiasticam.
- 21 Rem Ecclesiasticam male permutans, antecreditorem non incurrit penas Juris.
- 22 Mancipia Ecclesiastica, quæ ratione permutari valeant?
- 23 Ab absurdo valet argumentum.
- 24 Servi Ecclesiastici fugitivi permutari valent.
- 25 Dux Ecclesiæ vel Beneficia quoad proprietatem possessa possunt ita commutari, ut excessus unius pecuniâ compensetur.
- 26 Secus est in Beneficiis quoad titulum possessis.
- 27 Non requiritur necessariò duplex contractus.
- 28 Sunt, qui putant etiam in Beneficiis quoad titulum possessis fieri posse permutationem ita, ut pinguius recompensetur pecuniâ.
- 29 Statuitur sententia negativa.
- 30 Confirmatur.
- 31 Solvitur fundamentum Adversariorum.
- 32 Confirmatur ulterius.
- 33 In Permutatione Beneficiorum potest dimittenti pinguius Beneficium constitui penso.
- 34 Permutare possunt omnes, qui specialiter non prohibentur.
- 35 Qui emere & vendere non possunt, permutare possunt.
- 36 Res Ecclesiasticas permutare possunt, qui eas alienare possunt.
- 37 De Permutatione Beneficiorum remissivè.
- 38 Propter gravem causam potest Episcopus cogere Beneficiarium ad resignandum.
- 39 Etiam si Beneficiarius sit sine culpa. Bonum commune præferendum est privato. Ibid. Propter scandalum relaxanda, ac dimittenda sunt Jura. Ibid.
- 40 Si aliâ viâ jurari potest, nullus cogendus est ad permutandum.

3 Quandoquidem non tantum locatio conductio, sed etiam Permutatio vicina est Emptioni L. 2. ff. h. t. rectò ordine præcedentes duos Titulos prærens sequitur, circa quem

2 Notandum prius, Permutationem dupliciter, strictè nempe, ac late sumi posse. Latè sumpta importat omnem contractum, quo una res quæcunque tandem, sive in genere, sive specie pro altera datur. Molina Disp. 396. n. 1. & 2. Pirhing h. t. num. 1. & communiter alii cum Glossa in Rubr. C. h. t. Strictè sumpta est, quæ una certa res pro alia certa re datur. In præsentî agemus de Permutatione strictè sumpta. De qua

3 Quæritur I. Quid sit permutatio? Resp. I. Permutatio est contractus innominatus bonæ fidei, quo una certa res in specie pro altera certa re in specie datur. Patet descriptionis bonitas ex ejusdem declaratione. Dicitur Contractus loco generis, in quo cum omnibus contractibus convenit. Est enim Permutatio verus contractus §. 2. y. Diverse Inst. de Emp. & vendit. ubi dicitur: Permutationem esse propriam speciem contractus, ut proinde eandem à contractibus immeritò excludat Faber lib. 6. Conject. cap. 9.

4 Dicitur innominatus, quamvis enim hic contractus in Jure speciale videatur habere nomen; cum in utroque Jure specialibus Titulis agatur de Rerum Permutatione, tamen communiter à DD. inter contractus innominatos numeratur arg. L. 1. §. 2. ff. h. tit. Ratio est; quia, ut inquit Abbas & Glossa communiter recepta in Rubrica h. t. nomen Permutationis nimis generale est conveniens omnibus, quæ inter hominum manus versantur. Vide, quæ diximus Lib. I. Tit. 35. §. 5. de Pactis. n. 109. & 110.

Dicitur bonæ fidei; eò quòd contractibus bonæ fidei expressè annumeretur Permutatio §. Actio. num. 28. Inst. de Actio. ubi aperte dicitur, quòd actio bonæ fidei dicatur etiam ea, quæ ex Permutatione competit; & notant DD. communiter, signanter Pirhing h. t. n. 2. Engelh. t. n. 2. prout etiam nos supra citato Lib. I. Tit. 35. §. 6. de Pactis.

Dicitur quo una certa res in specie, pro alia certa re in specie datur. Ubi per rem in specie intelligitur res certa ac determinata in individuo, v. g. hæc domus, hic equus; quia quòd Philosophi individuum, hoc Legitæ speciem nominant; & quòd illi speciem, hæc isti genus vocant. Debet ergo res certa pro alia re certa dari ad hoc, ut sit rerum Permutatio; secus enim erit contractus innominatus do, ut des: sic v. g. si datur certus equus pro certo equo, vel bove vel cane certo; vel si datur domus certa pro alia domo certa, aut domus pro agro, vinea, prædio certo & erit Permutatio: si vero datur equus indeterminatus pro alio equo indefinitè sumpto, vel etiam unus determinatus pro alio in determinato; erit contractus innominatus do, ut des, Glossa fin. communiter recepta in L. 1. C. h. t. Pirhing h. t. n. 2. Welensbecius, Vultejus, & alii. Ratio est, quia Permutatio est perfecta mutatio (nam dictio per denotat perfectionem l. Urbana. ff. de V. S.) qualis Permutatio perfecta non est, quando convenitur mutuo pro tradenda re in genere.

7 Ex quo colliges rationem differentie contractus permutationis à contractu innominato do, ut des. Non desunt quidem qui docent, Permutationem, & contractum do ut des, esse eundem contractum, ut videre est apud Z. eium in ff. h. t. n. 4. Verum hi audiendi non sunt: tum ob rationem jam dictam; tum quia Permutatio est contractus bonæ fidei; contractus autem do ut des strictè Juris arg. §. Actio. num. 28. Inst. de Actio. Tum etiam, quia de his distincti in Jure reperiantur Tituli; de Permutationis quidem ff. lib. 19. Tit. 4. & C. lib. 4. tit. 64. De contractu do ut des verò ff. de Præscriptis verbis. Nec obstat quòd subinde Jura videantur confundere præfatos duos contractus. Respondeatur enim illa Jura loqui de Permutatione late sumpta.

Dicitur datur; quia Permutatio non nudo consensu perficitur, ut Emptio Venditio, sed requiritur actualis rei permutatæ traditio, quæ donec sequatur, licitum est permutantibus (loquendo de Jure Civili) pœnitere, seu à contractu resillire, textu claro l. Ex placito. 3. C. h. t. ibi: Ex placito Permutationis, nulla re secuta, constat, nemini actionem competere. Concordat L. 4. & 5. C. eod. & L. 1. §. fin. ff. eod. Ratio est; quia donec sequatur traditio, est & manet nudum pactum, & quo ex Jure Civili non datur actio, l. Juris gentium §. Sed cum nulla. ff. de Pactis. ibi: Igitur nuda pactio obligationem non parit. Imò est unus permutantium rem suam alteri jam tradiderit, sicque ex parte sua contractum impleverit, licitum adhuc est saltem huic, qui ex parte sua contractum jam implevit, non item alteri pœnitere, vel, si mavult, alterum actione præscriptis verbis scogere, ut & ipse contractum ex sua parte adimpleat, prout supra Lib. 1. Tit. 35. num. 113. diximus.

Dicitur autem notanter num. præcedenti de Jure Civili licet pœnitere; quia de Jure Canonico etiam ex nudo pacto datur actio, & unus altero invito resillire, vel pœnitere nequit, prout amplius diximus citato Tit. 35. de Pactis num. 37. & num. 114. ac seq. ubi etiam addidimus, idem hodie & in foro Civili præcari.

Quæritur II. Quænam res ad invicem permutari

valeant? Resp. Omnis res certa in pondere, numero, seu mensura non consistens, quæ vendi & emi potest, etiam permutari potest pro alia simili re. Azorius lib. 7. cap. 2. Engel h. t. n. 3. & communis aliorum. Probatur Conclusio per singulas partes. Quod enim debeant esse res certæ, constat ex dictis supra n. 6. quod verò in pondere, numero, vel mensura consistere non debeant. Ratio est; quia contractus de mutua traditione similium rerum, Mutuum, non Permutatio foret, prin. Instit. Quibus modis re contrahitur oblig. ibi: Mutui datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ consistunt: veluti vinò, oleo, frumento, pecunia numeratâ, ære, argento, auro; quas res aut metiendo, aut numerando, aut appendendo dantur &c.

11 Dicitur ulterius in Conclusione, quæ vendi emique potest; quia res cæteroguin certæ, quæ vendi non possunt, etiam permutari nequeunt, DD. citati. Hinc cum rerum, quas natura, vel Jus gentium vel mores Civitatis commercio exserunt, venditio nulla sit l. Si in emptione. 34. §. 1. ff. de Contrah. empt. Permutatio quoque earum irrita est. Idem est de iis, quæ ipso Jure Civili aut Canonico emi vendique prohibentur, de quibus vide Tit. XVII. §. 2. de Emptione, & venditione. n. 45. & seq.

12 Limitatur Conclusio quoad has particulas in re aliena; hæc enim quamvis de Jure validè ac licitè vendatur L. 28. ff. de Contrah. empt. Permutatio tamen ejusdem fieri non potest L. 1. §. Ideoque. 3. ff. h. t. ibi: Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere Permutationem. Concordat c. Cum venerabilis. 6. de Exceptionibus. ubi statuitur, quod, cum Permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quàm cum domino, vel cum eo, qui habeatur loco domini, legitime valeat celebrari; & ibi DD. communiter. Porro si quis rem alienam permutat, tenetur de Evictione l. Si Permutationis. 29. C. de Evictionibus. Quod autem Evictio operetur habeatur Tit. XVII. §. 12. de Emptione, & vendit. per totum.

13 Dicitur tandem in Conclusione pro alia re simili; quia non sufficit, ut unus permutantium det rem certam in specie, numero, mensurâ aut pondere non constantem, sed requiritur insuper, quod & alter contrahentium rem similem tradat ob rationem supra n. 6. allegatam. Hinc etiam quis permutare intendens, tradat alteri rem certam in specie, & ab eo accipiat pecuniam, venditio, non Permutatio erit: vel si pro re certa tradatur res fungibilis, id est, pondere vel mensurâ constans, erit contractus inominatus do, ut des. Qualis autem contractus, si pro re certa non fungibili, deitur alia res certa similis, & simul pecunia, dictum est supra Tit. XVII. §. 1. de Emptione & vendit. num. 13. & seqq.

14 Queritur III. An permutari etiam valeant res spirituales? Resp. I. Res spiritualis pro temporali nec validè nec licitè permutari potest. Est certa apud omnes, textu claro c. fin. de Pactis. ibi: Pro spiritualibus &c. omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare, & nullus penitus est momenti, juncto c. fin. h. t. ibi: Cum Permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur. Ratio est, quia universaliter dare temporale pro spirituali, vel econtra simoniacum est; prout amplius dicitur infra Lib. 5. Titul. 3. de Simonia.

15 Resp. II. Res spiritualis pro alia re spirituali licitè ac validè permutari valet. Abbas in c. 2. de Transactione. cum communi aliorum contra Richardum Paludanum & alios volentes, omnem Permutationem rerum spiritualium ad invicem prohibitam esse ac Simoniacam. Probatur autem Conclusio c. un. h. tit. in 6. & Clem. un. eod. ubi licita supponitur

& valida Permutatio Beneficiorum; quæ utique sunt quid spirituale. Ratio est; quia cum res spirituales sint ejusdem ordinis, ac sibi invicem proportionatæ, nullatenus derogatur earum dignitati, si ad invicem permutantur; unde illud Joannis 1. §. 16. Gratiam pro gratia.

Notandum tamen, quod si res spirituales declassificæ immobiles, v. g. Beneficium, jus decimandi, &c. vel mobiles pretiosæ permutentur, id fieri debeat cum debita Juris solemnitate: quia universaliter bona immobilia, vel mobilia pretiosa quæcunque tandem sine debita Juris solemnitate alienari nequeant; prout supra Tit. XIII. de Rebus Eccles. non alienand. diximus: Permutatio autem est species alienationis c. Nulli de Rebus Eccles. non alienand. Quod si verò res spirituales sint privatorum, liberè etiam abque Juris solemnitate permutari possunt; id, quod confirmat quotidiana praxis, quæ constat, abique ullo scrupulo pro libitu à privatis permutari ad invicem res spirituales, v. g. Reliquias &c. idem est de mobilibus Ecclesiarum non pretiosis.

Queritur IV. An etiam bona Ecclesiastica permutari queant? Resp. I. Possunt equidem ex causa rationabili bona Ecclesiastica permutari cum aliis etiam secularibus rebus, ita tamen, ut si bona Ecclesiastica sint immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ servari possunt, non nisi adhibitis juris solemnitatibus Permutatio fiat. Ita communis ac certa arg. can. Sine exceptione. 52. cau. 12. qu. 2. ibi. Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus (idem est de aliis) de rebus Ecclesie suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere valeant: nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospectis; & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie.

Nec oblat Conclusioni Reg. 51. Jur. in 6. dicens: 18 Semel Deo dictum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. Resp. enim, per ly Deo dictum, intelligi consecratum, arg. c. Mancipia. 3. h. t. ibi: Quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non debet. Agri autem, vel prædia &c. ad Ecclesiam spectantia non sunt specialiter consecrata, unde non minus ac jumenta Ecclesie, aut fructus decimarum &c. alienari, & permutari possunt, servatâ tamen Juris solemnitate.

Quænam autem requiratur Juris solemnitas, quæ nam item censeantur bona immobilia, aut mobilia pretiosa, item quæ pœnæ, pro malè commutanti-bus bona Ecclesiarum; ac denique an, quando, & quomodo commutationes malè factæ iterum sint revocandæ, vide supra Tit. XIII. de Rebus Eccles. alien. vel non. ubi in genere de alienatione rerum Ecclesiasticarum agitur, cuncta enim dicta etiam Permutationi honorum Ecclesie accommodari possunt, utpote quæ species quoque alienationis est, c. Nulli. 5. de Rebus Eccles. alien. ibi: Alienationis autem verbum continet conditionem donationis, venditionis, Permutationis &c.

Solum notandum cum Layman & Pirhing h. t. n. 5. minorem causam sufficere ad permutandum, quam vendendam rem Ecclesiasticam, eò quod ordinariè loquendo Permutatio rei Ecclesiasticæ cum alia re æquivalenti, minus obesse, & sæpè propèdit valeat, ratione circumstantiarum v. g. propinguitatis &c.

Insuper notandum, quod pœnæ à Jure in malè alienantes statutz non incurrantur à malè permutantibus, nisi permutatio actuali traditione rei permutatæ sit completa. Ratio est; quia, ut supra num. 8. dictum est, Permutatio non nudo permutantium consensu, sed rei traditione perficitur, Pirhing loco cit.

Resp.

22 Resp. II. Circa Permutationem servorum seu mancipiorum Ecclesie speciale & quidem sequens habetur statutum. Mancipia Ecclesiastica nisi ad libertatem non conveni commutari: videlicet, ut mancipia, quæ pro Ecclesiastico homine dabantur, in Ecclesie servitute permanent, & Ecclesiasticus homo, qui commutatur, fruatur perpetuâ libertate. c. Mancipia. 3. h. t. Ratio ibidem additur; quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non debet.

23 Idem statutum habetur, ac insuper extenditur can. Injustum. caus. 12. q. 2. & c. Institutum. 4. h. t. dum tanquam injustum atque impium declaratur, quod servi aut mancipia Ecclesiarum, cujuscunque muneris pretio vel commutationis commercio, iterum in servitute seculari redigantur; ubi ulterior ratio hæc additur, quia est absurdum, ut ab Ecclesiastica dignitate servus decedens, humanæ obnoxius sit servituti. Ex quo textu Abbas ibid. n. 2. bene infert, ab absurdo valere argumentum, etsi nulla allegetur autoritas c. Ex ore. 17. de Privilegiis.

24 Limitatur Conclusio in servis fugitivis, arg. cit. c. 4. h. t. ibi: Cum Canonica autoritas servos tantummodo permittat distrahi fugitivos. Concordat can. Fugitivi. 54. & can. Injustum. 55. cau. 12. qu. 2. Notat tamen bene Glossa in cir. c. 4. h. t. §. Fugitivos, servum, quamdiu in fuga est, vendi non posse, arg. l. Quod sepè. 35. §. Si quis amico. 3. ff. de Contrah. empt. & cum prærens venditur, prius emptor de vitio, quod videlicet ad fugam inclinet, moveatur, cit. l. Quod sepè. 35. §. fin. ff. de Contrah. empt. Porro de licentia Papæ licet commutare & donare etiam non fugitivos servos Ecclesiasticos remunerationis gratiâ, arg. can. Ecclesiasticos. 67. cau. 12. q. 2.

25 Queritur V. An duæ Ecclesie, quarum una habet pinguiore redditus, possint invicem ita permutari, ut habens Ecclesiam seu Beneficium cum minoribus redditibus, possit pecuniâ recompenfare possessiones pinguiore alterius Beneficii, Germanicè Aufgeben. Resp. I. Si Ecclesia seu Beneficia possideantur jure proprietatis, id licitum esse, præsertim, si duo sint contractus, quorum uno ipsæ Ecclesie seu Beneficia, altero verò possessiones eorum permutentur. Hostiensis & Abbas in c. Ad questiones. 6. n. 12. & 3. h. t. Pirhing h. t. n. 10. cum communi aliorum, arg. c. Ad questiones. 6. h. t. ubi similis Permutatio Ecclesiarum jure proprietatis possessorum, duplici contractu facta, ut licita & valida approbatur. Ratio assignatur in cir. c. Ad questiones. h. t. quia nempe Permutatio Beneficiorum seu Ecclesiarum per se loquendo licitè fieri potest, ut dictum est Lib. 1. Tit. IX. de Remun. à n. 82. & Permutatio Possessionum nullibi reperitur inhibita, consequenter concessa, uti notat Glossa hic §. Inhibitiu. Intellige, dummodo utrobique debite adhibeantur Juris solemnitates.

26 Dixi autem notantes, si jure proprietatis possideantur: quia secus est, si in titulum possideantur, uti dicemus questione seq. Hinc si duo Monasteria, v. g. Collegia, vel Capitula habent aliquas Parochias sibi incorporatas, consequenter quas jure proprietatis possident, bene possunt ad invicem ita permutare, ut Monasterium habens Parochiam minorum reddituum, pecuniâ compenfit id, quo alterius Monasterii Parochia permutanda quoad possessiones, & redditus abundat. Quod idem non possunt duo Parochi, seu Beneficium alii Beneficia sua non jure proprietatis, sed in titulum possidentes ob rationem infra n. 29. dicendam.

27 Dicitur ulterius in Conclusione: præsertim si duo sint contractus; quia ita suadet c. Ad questiones. 6. h. t. & consulunt DD. communiter, uti videre est apud Abbatem loc. cit. quamvis absolutè necessa-

rium non sit; cum etiam unum eodemque contractu talis permutatio fieri queat; dummodo in contractu bene exprimat, quod compenfitur pecuniaria pro abundantioribus alterius Ecclesie possessionibus, & non pro ipsa Ecclesia, vel Beneficio, aut jure spirituali dari debeat, prout rectè observat Suarez lib. 4. de Simonia cap. 34. n. 13. Layman, Pirhing h. t. n. 11. & alii; & sanè parùm referre videtur, utrum duplici contractu talia Beneficia permutentur, & dicatur; uno contractu absolutè permuto tecum Beneficium mihi incorporatum, altero autem possessiones, quas Beneficium meum habet, & volo, ut pecuniâ recompenfes id, in quo possessiones mei Beneficii, possessiones tui Beneficii superant: An verò negotium unico contractu absolvatur, & dicatur; permuto tecum Parochiam incorporatam; ita tamen, ut excessum, quo possessiones Parochiæ mihi incorporatæ possessiones Parochiæ tibi incorporatæ superant, pecuniâ recompenfes: æquè enim in hoc simplici, ac in illo duplici contractu apparet, quod excessus præcisè detur pro temporalibus possessionibus, & non pro jure speciali, sique omnis abdit species simoniæ, id, quod solum Jura desiderant.

Queritur VI. An pariter in Permutatione duarum Præbendarum, seu Beneficiorum quoad titulum, quorum unum pinguiore habeat redditus, quam alterum, excessus unius in redditibus suppleri possit pecuniâ aut aliâ re temporali, sicut fieri posse diximus in Permutatione eorundem quoad proprietatem possessorum? Non desunt DD. affirmativè respondentes, inter quos est Angelus §. Permutatio. n. 6. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 35. numer. 101. Sylvester §. Permutatio. 2. qu. 6. Cajetanus, & alii, quibus communiter etiam anauerant Abbatem in cir. c. Ad questiones num. 3. sed immerito, cum Abbas ibidem expresse loquatur de Permutatione Præbendarum quoad proprietatem, ut aperte liquet tam ex Summario, quam ex contextu ejusdem. Verum quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ,

Resp. I. Ad quæritum negativè. Ita Barbosa in 29. cir. c. Ad questiones. h. t. num. 1. dicens opinionem contrariam esse falsam, periculosam, plenamque fraudibus, & dolis. Covarruvias lib. 1. Variar. Resolur. cap. 5. n. 9. Navarrus Manual. cap. 21. n. 100. Zocæus h. t. n. 18. Vallensis eod. n. 4. Engel eod. n. 4. & communis aliorum, quibus & nos in Theologia nostra Morali Tract. 11. Dist. 2. qu. 5. n. 50. jam adhaesimus. Ratio autem conclusionis simul & disparitatis inter Permutationem duarum Ecclesiarum quoad proprietatem, & duorum Beneficiorum quoad titulum est; quia in priori Permutatione duo intervenire possunt contractus ab invicem separati, quorum uno ipsa Beneficia, seu jura spiritualia, altero verò jura temporalia possessionum, agrorum, præbendarum &c. permutantur, arg. c. Ad questiones. h. t. vel si unico contractu Permutatio absolvitur, potest saltem peti compenfitio pro excessu possessionum independentè à jure spirituali, eò quod permutantes habeant perfectum jus & dominium in tales possessiones temporales.

Secus est in altero casu; cum enim Beneficiatus Beneficium in titulum possidens non habeat dominium possessionum, agrorum, præbendarum Beneficii, sed solummodo jus percipiendi redditus ex ipsis; neque sit dominus reddituum futurorum, sed eos primùm acquiritur sit sub conditione, si nempe Beneficium retineat, atque debita officia præstet, jam non potest ratione possessionum aut reddituum percipiendorum speciale contractum instituire, vel ratione illorum, utpote quæ ad illum non spectant, & ad quæ jus non habet, aliquam compen-

penfationem temporalem exigere, vel pacifici; confequenter fi nihilo minus facti, pro ipfo Beneficio, feu jure speciali temporale exigat, ficque Simoniam committit.

31 Et per hoc patet ad fundamentum Adversario- rum, qui paritatem in utroque casu extorque- re nituntur. Sunt etiam qui putant, exigi posse compensationem temporalem non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo, sed incommodo tempo- rali, quod quis subit, spoliando se majoribus redditibus futuris, & spe illorum. Sed contra est, quod futuri majores redditus, & spes eorundem percipiendi habeant dependentiam, & connexionem ad Beneficium, cum sint accessorium Beneficii; unde urget illud can. *Si quis objecerit. caus. 1. q. 3. Quis- quis horum alterum vendit, sine quo nec alterum pro- venit, neutrum inventum derelinquit.*

32 Confirmatur Conclusio, & responsio nostra: si, uti volunt Adversarii, Beneficium, possessum, vel possidendum quoad titulum potest separari à redditibus, sequitur manifestè, quod possit quis Beneficium suum vendere; vel pro eo aliquid tempo- rale accipere; si nempe dicat; Beneficium, seu jus spirituale tibi gratis tribuo; pro redditibus verò, seu feo illorum, vel pro incommodo temporali, quod subeo, spoliando me futuris redditibus, exi- go tantam quantitatem pecunie &c. atque hoc jux- ta omnes etiam Adversarios Simoniacum est; er- go. Sequeretur item, quod idem facere possent Col- latores Beneficiorum, dicendo Beneficium se gra- tis conferre, pro redditibus verò utpote separabili- bus in sententia Adversario- rum, tanquam pro emolumento temporali, quod conferre tibi non teneret, peto compensationem temporalem, quod rursus si- moniacum, & ab Alexandro VII. An. 1665. dam- natum est; dum inter alias etiam sequentem ordine 22. propositionem damnavit. *Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecu- niam intervenientem, non exigit illam pro collatione Bene- ficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

33 Ceterum predictis non obstantibus potest au- thoritate Episcopi constitui pensio solvenda illi, qui permutando pinguius Beneficium dimittit, non quidem pro compensatione excessus, ob rationem jam dictam, sed ob aliam causam justam & rationa- bilem, v. g. quia fit commutatio ob bonum commu- ne, aut bonum pacis privatæ, aut quia pensionem prædicens est infirmus, vel ætate decrepatus. Bar- bosa *loc. cit. n. 3.* Navarrus de *Simon. consil. 43. nu. 3.* Piassec. *in praxi Episc. p. 2. cap. 5. nu. 125.* Engel. *h. t. nu. 4.* & alii. Vide quæ de pensionibus diximus supra Tit. XII. *Ut Beneficia Ecclesiastica sine dimi- nuat. §. 4. per totum.*

34 Quæritur VII. Quinam permutare possint? Resp. I. Permutationem rerum temporalium facere possunt omnes, qui à natura, vel à Jure specialiter non prohibentur. Communis ac certa; quia in ma- teria communiter non prohibita, concessum intelli- gitur, quod expressè non prohibetur, uti habet Glof- sa communiter recepta in c. *Inter corporalia. §. Non invenitur. de Translat. Episc.* Permutare à natura prohibentur carentes usu rationis, quales sunt amene- tes, furiosi, infantes &c. hi enim sicut ab omni con- tractu, ita & Permutatione excluduntur, prout amplius diximus Lib. I. Tit. 35. de *Pactis. §. 2.*

35 A Jure prohibentur permutare, qui de Jure ven- dere & emere non possunt. Ratio est; quia Permu- tationem - vicem emptionis obtinere non est Juri in- cognitum, L. 2. C. h. t. Hinc quia nec Clerici lucrati cau- sâ, nec pupilli aut minores absque autoritate Tu- torum, aut Curatorum emere ac vendere possunt

ita nec permutare valent. Pariter sicut bona pupilla- rum aut minorum absque Judicis autoritate sibi comparare non possunt Curatores, & Tutores, prout Tit. XVII. n. 23. *Et seqq. de Emptione & ven- dit.* diximus, & ex Jure probavimus, ita nec Per- mutationem id facere queunt.

Resp. II. Permutationem rerum Ecclesiastica- rum facere possunt omnes, & soli, qui eadem res alienare possunt. Communis Ratio est; quia Per- mutatio est species alienationis c. *Nulli. 5. de Rebus Eccl'es. alien.* Quinam autem res Ecclesiasticas alie- nare valeant, vide supra Tit. XIII. de *Rebus Eccl'es. alienand.*

Petraclant hic amplius Doctores materiam de 37 Permutatione Beneficiorum. Verum quia nos de hac sufficienter jam egimus supra Lib. I. Tit. IX. de *Renunciatione. §. 4. n. 82.* ideo hic nihil repetimus, sed illic Lectorem remittimus.

Solùm, quod ibidem desiderari posset, est, 38 quod Episcopus subinde possit etiam cogere Cleri- cum ad permutandum cum alio Beneficio, si nem- pe gravis illi causa posulet, vel quia Beneficiatus mi- nus est idoneus ad præstanda munera Beneficii hu- jus, vel in hoc loco &c. Abbas in c. *Questum. 5. h. t. nu. 7. & 8.* Innocentius in c. *Nisi de Renunciat.* Engel. *h. t. n. fm. Parisius Flamin. de Resignat. Bene- fic. num. 161. Et seqq. arg. cit. c. Questum. §. fm. ubi ita statuitur: Si Episcopus causam inspexerit necessa- riam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.*

Procedit doctrina, etiam si causa absque culpa 39 Beneficarii eveniat, v. g. exurgat gravis avertisio & odium populi adversus Parochum, ita ut hujus ver- ba nihil amplius fructificent, populus Divina con- temnat, vel scandalum nascatur &c. uti apud Ab- batem citatum bene observat Innocentius *loc. cit.* Ratio est; quia bonum publicum debet præferri pri- vato, can. *Sciatis. 39. caus. 7. qu. 1. ibi: Nampriorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est; & ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt Juris præcepta, can. Si forte. 36. dist. 63. & ibi Glossa §. Ita tamen, item can. *Ut constitueretur. 25. ad finem. dist. 50. Et c. Nihil prodest. 2. de Prescription. ubi Glossa §. Nihil cum scandalo, ait: Propter scandalum desistendum est à Jure suo. Ac docet cum S. Joanne à Capistrano in c. *Manifesta. de Penitent. Et Remission. num. 43.* Flaminus *Parisius loc. cit. n. 165.***

Intellige, si aliâ viâ succurri non possit; enim ve- 40 rò quamdiu alia via juveni restat, v. g. posset suc- curri malo per assignationem Coadjutoris, non pos- set Beneficiatus invitus cogi ad permutandum. Ab- bas *loc. cit.* Porro si aliâ ratione malum tolli nequit, æquum est, ut illi, qui absque culpa sua Beneficium pinguius dimittit, assignetur pensio, vel alia com- pensatio, uti notat Abbas *loc. cit.* Flaminus *Parisius loc. cit. n. 176.* ac concordant dicta n. 33.

TITULUS XX.

De Feudis.

I. Ratio continuationis Rubricæ.

Præcedentem Titulum præfens sequitur: tum I quia Feudum in multis assimilatur Emphyteusi, de qua in præcedenti Titulo actum est; tum quia etiam per Feudum transfertur dominium saltem uti- le rerum, indeque alienationis species, de quibus hæcenus copiosa erat questio, annumeratur.

Ma

§. I. De Origine, Natura, & Divisione Feudi.

Materiam de Feudis SS. Canones brevissimè, duo- bus nempe, itaque brevibus capitulis absolvunt: Jus Civile verò eam duobus integris libris, & plurimis Titulis pertractat. Quapropter Legitæ magna Com- mentariorum volumina de eadem scripsere. Nos ea, quæ scitu utilia magis vel necessaria videbuntur, seligimus. Ponitur itaque

§. I.

De Origine, Natura, & Divisione Feudi.

SUMMARIUM.

- 2 Controversia Doctorum de origine Feudi.
- 3 Probabilis à Longobardis originem trahit.
- 4 Ly Feudum derivatur à Fide jure fidelitate.
- 5 Feudi varia acceptio.
- 6 Feudatarius, & dominus directus quinam? Ibid.
- 7 Feudum definitur.
- 8 Debet esse res immobilis.
- 9 Jura incorporalia immobilibus comparantur. Ibid.
- 10 Per Feudum transfertur solummodo dominium uti- le, liberaliter tamen & perpetuè: in quo differt ab Emphyteusi.
- 11 Feudatarius obligatur ad fidelitatem & obsequium personale.
- 12 Si habet Feudum proprium.
- 13 Feudum dividitur variè, primò in proprium ac improprium.
- 14 Utriusque descriptio. Ibid.
- 15 Feudum antiquum & novum, paternum & avitu- mum quid?
- 16 Differentia inter Feudum novum & antiquum. Et num. seq.
- 17 Feudum Ecclesiasticum, & seculare quid, & unde cognoscatur?
- 18 Episcopi, & alii Clerici habentes Feudum se- culare, à domino directo in causa Feudali ju- dicantur.
- 19 Feudum seculare quod Ecclesia habet, differt à Feudo seculari, quod Laicus habet; & quomodo?
- 20 Feudum nobile & ignobile quid?
- 21 Regale & non Regale quid?
- 22 Regalia quid importent? Ibid. remissivè.
- 23 Feudum Ligium & non Ligium quid?
- 24 Feuda Ligia non potest quis à duobus dominis ac- cipere.
- 25 Bene tamen Feuda non Ligia.
- 26 Feudum Familie, seu ex pacto, & providentia Stammenlehen quid?
- 27 Feudum hereditarium quid?
- 28 Clausula, Concedo Feudum pro te, & tuis hæ- redibus quibuscumque, indicat Feudum heredi- tarium. Ibid.
- 29 Non item clausula pro te & hæredibus: & quare?
- 30 Verba intelligenda sunt secundum subjectum ma- teriam.
- 31 Feudum Masculinum & Femininum quid?
- 32 Femininum esse impropriè Feudum; nec possunt in eo succedere femine, quamdiu masculus super- stes est.
- 33 Feudum Francium, & non Francium quid?
- 34 Feudum reale, & personale. Personale aliud est de Camera, aliud de Cavena.
- 35 Aliud Quardie, aliud Gestaldie.
- 36 Aliud Soldate.
- 37 Feuda Personalia sunt Feuda impropria.
- 38 Feudum emphyteus & gratuitum.
- 39 An in emphyteus succedant femine? Ibid.
- 40 Feudum burfatica Bavaris speciale quid?
- 41 Enarrantur ejus conditiones.
- 42 Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

37 Feuda burfatica in Bavaria sunt frequentia.

38 Feuda equestria que?

39 Libri Feudorum an sint authentici? quæritur.

40 Respondetur affirmativè.

41 Probatur immemoriali consuetudine.

42 Consuetudo habet vim legis. Ibid.

43 Quenam Capitula non sint authentica in Libris Feudorum: & que illa?

Quæritur I. Unde originem trahat, & derive- 2 tur Feudum? Resp. I. Quamvis gravissima inter Doctores sit controversia de origine Feudi, cum aliqui cum Zasio in l. 2. §. *Curios. ff. de Orig. Juris.* & Caciac. in *Commentar. ad lib. Feud. in princ.* velint, Feuda ex antiquo Romanorum Jure origi- nem habere. Alii cum Luca de Penna in l. *Quicun- que. C. de Omni agro defect. lib. 11. doctem.* Feuda tempore Justiniani capisse. Alii dicant Feuda à Gal- lis ad Germanos, Italos, Hispanos, & alias Europæ Provincias venisse, uti videre est apud Fachin. *lib. 7. cap. 1.* ubi singulas opiniones examinat.

Nihilominus communior ac probabilior tenet, 3 Feuda originem habere, ac primitivè concessa fuisse à Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, natione ceteroquin Germani, vel Ger- manis vicini. Fachin. *lib. 7. cap. 1.* Harprecht in *Ad- notat. ad Jul. Clar. in §. Feudum. q. 1. n. 11.* Heig. *part. 1. Engel. h. t. n. 1.* & complures alii. Ratio est; tum quia in libris Feudorum passim fit mentio Lon- gobardorum, & Legum Longobardicarum, veluti *lib. 1. tit. 1. de Feudi cognitione, item lib. 2. tit. 8. de Investitura, rursus lib. 2. tit. 58. de Notis Feud.* & ali- bi. Tum quia in illdem libris plura reperuntur vo- cabula Germanica, ut Morgentatica, Marchia, Marchio, prout bene observat Fachin. *loc. cit.*

Resp. II. Ipsum nomen Feudum derivatur à fide, 4 seu fidelitate. Rosenthal *cap. 1. de Feud. concl. 7. lib. 1. Engel. h. t. n. 2.* & communis aliorum. *Lib. 2. Feud. tit. 3.* Per quos fiat Investitura, ibi: Cum à fidelitate Feudum dicatur, vel à fide, quæ verba, cum sint clara, audiendus non est Fachin. *loc. cit.* dicens, errare eos, qui putant ly Feudum à fide, seu fidelitate derivari. Ratio autem est; quia natura Feudi proprii est, obligare Feudatarium, ut spe- ciale exhibeat fidelitatem erga dominum suum direc- tum, cujus est vasallus; *cit. lib. 2. tit. 3.* Per quos fiat investitura, ut dicitur: *Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat.*

Quæritur II. Quid sit Feudum? Ante responso- 5 nem notandum, Feudum subinde sumi pro ipso contractu Feudali, quo res in Feudum datur: sub- inde pro jure, quod ex contractu Feudali, Feuda- tario, seu vasallo nascitur: subinde verò pro ipsa re, quæ in Feudum conceditur. Ille, qui rem in Feudum concedit, dicitur dominus directus, item dominus Feudi, Germanis *Lehen-herr*; qui accipit, vocatur vasallus, item feudatarius *Lehen-Mann, oder Lehen-trager*: res autem, quæ in Feudum concedi- tur, res feudalis, item simpliciter etiam Feudum, Germanis *Lehen-Gut*, vel simpliciter *Lehen* appellat- ur. In præsentem agemus quidem de Feudo in qua- vis acceptioe considerato, principaliter tamen de Feudo, prout sumitur pro ipsa re in Feudum con- cessa, in quo sensu nunc Feudum definitio.

Resp. I. Feudum proprie dictum est res immobili- 6 lis, vel æquivalens, alicui quoad dominium utile li- beraliter, & perpetuè concessa sub onere fidelitatis & obsequii personalis præstandi. Ita in re communis ac certa: atque desumitur ex §. *fm. lib. 2. Feud. tit. 23.* ubi ita describitur: *Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietatem reman- neat: ususfructus verò illius rei, ita ad accipien-*

G g

rem.